Interea enim præda quadam direpta mobiles animi ad opes ex rapto
parandos induerunt. Ceterum qui subsunt Senatus nostri ditioni,
literis his auditis paruerunt, legatis hactenus frustra ipsos revocantibus.
Sunt qui frigidam subfuderunt, bene fateor, sed bona pars illorum in
gratiam seditiosorum primum cœperat utcunque simulare Evangelium.
Sed paulo ante, quam in apertum malum hoc prorumperet, ii
fusis miseris nos numerata aliqua pecuniola Episcoporum præfectis
reconciliati sunt, et iterum missant, iterumque veteres exercent im-
posturas. Neque quicquam eis imputatur, modo abjurata conjuge cum
meretricibus de more sacerdotum consuescant, condonat eis quan-
tum flagitiorum patrarunt, nemoque exprobrat illis cœnobia spolia-
ta. Nam una cum vastabundis miseris palam proficiscebantur, tan-
quam faces scelerum, quorum cohortationibus per se ardentes ma-
gis inflammati sunt. Contra pii fratres, qui pagos aliquot, in
officio virtute verbi retinuerunt, partim exauctorantur, profligantur,
rapiuntur ad vincula ad tormenta ad laqueos et ad omne genus
mortis. Hoc non est extinguere seditiones, sed occultis animi venis
latentem fovere, mi Faber. Dixi tumultuosos habitatores quod agant, ta-
les significo, quos nunc malis artibus tua conjuratio studet immittere
innocentibus verbi sectatoribus, quos nomino tumultuosos non sediti-
osos, ut tu vertis. Sunt enim quibus orbis pernicies, h. e. nefaria bella
lucro sunt, quos quidem obscuro significo.
Si qua de rebus Bernatium certa habentur aut spes quæcunque præ-
vides, nos, ut per nuncium hunc sciamus. Vale in Domino fortissime
Christi miles et frater. Argentinæ 11. Junij Anno 1526. Bucerus
et Fratres te salutant præsertim Farellus

V. Capito.

52) Hulderico Zuinglio suo in Domino majori observando.

Hic Faber apertissima mendacia in Senatum ac populum urbis ac
ditionis Bernatium effutivit, quæ paucis in Germanica satisfactione
delineavimus. Summa est, Bernæ Evangelium prædicatur, Bertholdus
ille Evangelista, in officio pergit, ex autoritate ac stipendio Senatus
libertas verbi dicendi et interim Papisticæ factionis pariter obtinent,
nec unquam publice his annis consensum est adversus Evangelium
etiamsi illic, ut alias quoque studia fortassis vigent. Faber vero omnia
contrario modo affirmat cum notatione aliqua, gravissimi populi
Bernatium. Ex his literis, ita ut dixi, depravatis nonsolum adversum
vulgi rumorem in me commovit ὁ πολύλεκτος τοῖχος, sed etiam
Magistratum Helvetiorum et propemodum Senatum imperij, quem-
admodum videre est, in eo libello, quo Germanice satisfecimus, ad me per-
dendum excitavit. Age nunc bone Lector Fabrum illum fatearis vi-
rum bonum esse. Quomodo enim effugiet crimen falsarij et
perniciosissimi Calumniatoris? Si sciens bene dicta vertendo in
Germanicum adulteravit, homo est longe omnium sceleratissi-
mus, qui in vitam fratris, nihil de ipso mali unquam commeriti,
dolis ac imposturis tantopere grassetur. Si per imprudentiam et in-
scitiam peccavit, ut multis videtur, dupliciter culpandus veniet
tum quod non intellecta in pessimam tamen partem interpre-
tari valuit, tum quia innocentissima quoque vel enarrationculis
adjectis in contrarium rapere molitur. Ignorantiæ defensio

locum inte

locum in te non habet, impudentissime Faber; Nam responderem,
quis te adegit, ut tanquam de certissimis pronunciares, postquam
nescieris, an atrum an album sit, quod scripserim. Nemo itaq; fa-
cile definiet, an studio an imperitia tantis me contumelijs
oppleveris. Nam apud Helvetios cavisti, ne quis exemplum
mearum nancisceretur, quod arguit consilio et voluntate para-
tum scelus. Contra vero Serenissimo Principi Hispaniarum atq;
Austriae Duci Ferdinando etc. ut ferunt, exemplum earum per-
tulisti, quo fit conjectura, stolidam confidentiam, quasi probè
egisses, tibi gloriarum redundanti facile imposuisse, nisi Princi-
pem tantum et omnia familiae illius augustissimae ingenia
atq; literaturam politissimam contempseris. Ad cognitionem
rem totam refero candidi lectoris. Subjeci tamen unum atq;
alterum perquam festivum epigramma, quibus suam senten-
tiam innoxius quidam amicus delineavit, huic enim visus
es ineptus esse atq; ἀδύνατα conari. Verum Poeta est, pro-
re commoda, ingenij bonitate finxerit, nihil equidem moror.

IN Fabrum.

Ne quis forte putet si cui Faber obviet iste,
Qui nisi sacrilegas fabricat insidias,
Non est Lemniacos qui condit et excitat ignes,
Ora tamen similis, caetera dissimilis.
Namq; licet tractent ambo fabrilia fabri.
At variant Dominis, usibus, arte, loco.
Ille Jovi fulmen parat, hic mendacia Diti.
Ille igne, hic fumis, quod facit, aptat opus.
Ille Specum colit, hic regalem Principis aulam.
Ille Deus, verum hic nec Deus nec homo est.
Ille unam Venerem, multas hic permolit. Illi
Crus claudum lingua et pectore claudus hic est.
Ille tegit durum squallenti corpus amictu,
Induit hic teneram veste nitente cutem.
Ille fuit praeceps in terram trusus Olympo,
Hic terra in stygias dejicietur aquas.
Noscitur his signis Fabro Vulcanus ab isto,
Qui nisi sacrilegas fabricat insidias.

IN EUNDEM.

Mula nec est asinus, nec equus, sed utroque parente
Contra naturae jura modumque venit
Sic Faber ex aula et templo fit nil nisi monstrum,
Quod nihil aut aulae aut relligionis habet,
Quin prius est Asinus, vel equus vel denique mula,
Quam Faber aulicus aut relligiosus erit.

Argentinae 12. Augusti.
Anno 1526.

53.) S. P. Etiam audio crimen deprecaris, quum mihi non alia re magis gratificari queas, quam si quam creberrimis tuis nos literis interpelles, praesertim, si quid Stili ac rerum sit, quod ut sciam mea referre judicabis. Opinor Sutoris antapologiam jamdudum prostare, eam ad me quamprimum mitti cupio vehementer; de Jacobo Tusano monitum esse me gratissimum est. Scripsi, sed ut nunc res ferebat, tribus verbis. Rumorem tuu de morte Budei sparsum arbitror esse vanum. Bene vale Nicolae charissime, curaque ut huc redeas egregie dives literariis moribus. Datum Basileae 17. calend. Junij Anno 1526.

Inscriptio. Nicolao Episcopio. — Erasmus Roterodamus sua manu scripsit tibi non ignota.